

45 ibi Diaboli metus, nullae insidiae daemonum, terrorque.
Gehennae procul, mors neque corporis neque animae, sed
immortalitatis munere metus uterque resolutus. Sicut
enim puer regius, si primo pauperis tugurii alendus trada-
tur vilibus nutrimentis, sub metu etiam paedagogorum
50 vivat et magistrorum quo aetas prima districtioris dis-
ciplinæ frenis repressa adultam demum aetatem proba-
bilem reddat ac paternis natalibus dignam, ubi venerit
tempus ut aulam regni et sceptrum paternae dignitatis
assumat, abiectis omnibus illis vilibus indumentis, repente
55 in habitum regium ac paternae potestatis infulas trans-
formatur, splendor purpurae protinus ac diadematis ful-
gor, ministrorum etiam succedit ambitio simulque hono-
ris auctoritas invalescit et efficitur totus alter ex altero,
ita ergo et tunc tali quadam specie Sanctorum immuta-
60 tio fiet. Et ut scias quia non in his quae dicimus sola
pompa verborum est, conferamus oculos ad illum mon-
tem, in quo transformatus est Christus et intueamur
splendorem eius illum quo tunc in transformatione res-
plenduit et nec sic quidem inveniemus cunctam nobis
65 futuri saeculi gloriam patefactam. Illa enim transfor-
matio facta est non in quantum bonorum futurorum
veritas habet, sed quantum ferre oculi poterant intuen-
tium. Sic enim et evangelium dicit quia : « Resplenduit
sicut sol ». Incorruptorum autem gloria corporum non hoc
70 tantum splendoris emittit quantum ex ipsa corruptibili
luce procedit, nec talem lucem qualem nunc mortales
oculi capere possunt, sed tantus erit futurae lucis splendor